# Programm

des

Großherzoglichen

# Carl Friedrichs-Gymnaſium

zu Eiſenach

als

## Einladung

zu den am **18. März** und den nächſtfolgenden Tagen Statt findenden

**Schulfeierlichkeiten.**

Inhalt:

**Quaestiones Platonicae.** Vom Profeſſor Dr. Schwanitz.
**Schulnachrichten.** Vom Direktor.

Eiſenach, 1850.
Gedruckt in der privilegirten Buchdruckerei daſelbſt.

Programm
Univ.-Bibl. Giessen

Stadt- u. Univ.-Bibl.
Frankfurt/Main

Universitäts-Bibliothek GIESSEN

Constat inter omnes, et priore et recentiore tempore in quaestionem saepe esse vocatum, quomodo doctrina compararetur Christiana cum Platonis philosophi decretis. Ut vero, quam Plato haberet, notitiam Dei perfectam explicarent, patres ecclesiae nonnulli aliique temporis praeteriti scriptores in opinionem illam absurdam sunt adducti, qua putarent, Platonem in itineribus suis Iudaeorum dogmata diligenter penitusque cognovisse, ac permultos, qui apud philosophum reperirentur, locos egregios a veteris testamenti libris esse mutuatum. Hanc vero opinionem animo imbiberunt, quia non aliter divinam fere Platonis sapientiam explicari posse arbitrarentur. Temporis deinde decursu fuerunt non pauci, qui pariter ac patres ecclesiae philosophi praecepta sacro cum codice consentire demonstrarent *). Huc referendi sunt Marsilius Ficinus, Livius Galantes, ordinis Minorum socius, Huetius, Andreas Dacierius, Cudworthius Anglus, Wincklerus, alii. Nostro denique seculo Stäudlinus, Gottingensis, ad comparandam doctrinam Christianam cum Platonica advertit animum. In commentatione enim, quam scripsit, de philosophiae Platonicae cum doctrina religionis Iudaica et Christiana cognatione quaesivit primum de librorum veteris et novi testamenti dictis, quae Platonicis essent admodum similia, consensum deinde probare studet inter nonnulla praecepta Iudaica, Christiana, Platonica, iudicium denique de philosophiae Platonicae cum religione biblica concentu adiunxit suum universum **). Atque idem fere, quod Stäudlinus, non multo post docere conatus est A. Grotefendus. In sua vero disquisitione non id agendum esse videbat, quod in praefatione explicat lectoribus, ut denuo moralis Christi et apostolorum recognosceretur doctrina, sed illud ei erat summi momenti, ut Platonis ethicam ex scriptis ipsius recognitam, enucleatam, probatam quisque perspiceret et intelligeret, qualis eius esset ratio ad vim ethicae Christianae ***). A. Grotefendum excepit deinde C. Ackermannus. Qui vir egregio libro aliam sane viam ingressus est in demonstranda sententia, quam ii, qui iam antea de eodem scripserant argumento: neque enim se continebat leviter eo ac strictim tractando, sed magna cum subtilitate rem indagavit suam †). Neque tum a C. Ackermanni consiliis admodum discrepans fuit F. Chr. Baurus. Quia enim C. Ackermannus gravissimum illud momentum, quod in Socratis inesset persona, omisisset, neque quaestionem attigisset de ratione ea, quae Socrati intercederet cum Christo, rursus illam examinandam ac ponderandam putavit theologus praeclarus ††). Novissimo denique tempore I. G. L. Mehlissius comparatione facta Platonis doctrinae de vero reipublicae exemplo cum Christiana de regno divino doctrina eandem fere tractavit materiam †††). Hunc ipsum vero libellum, quum et recentissimus sit, et in re versetur gravissima, liceat mihi, paulo, quantum fieri potest, accuratius in censum vocare. Quod ut ratione fiat, Mehlissii disputationis partes ita adumbrabimus, ut singulis quibusque nostrum, si sit necesse, interponamus iudicium, neglectis scilicet omnibus, quae non ad Platonis libros explicandos pertinent, sed bibliorum sacrorum spectant ipsam doctrinam. In hisce autem Mehlissii habes sententias et rerum summas.

Toti commentationi introductionem praemisit auctor eaque demonstrare est conatus, quo omnino iure Christianam comparari liceat doctrinam cum Platonis philosophi praeceptis. Convertit se deinde Mehlissius ad notionem de regno divino e bibliis sacris explicandam; qua illustrata pergit ad Platonis eruen-

*) Io. Tidemani Amstelodamensis dissertatio de deo Platonis. Amstelodami MDCCCXXX. p. 59.

**) Georgiae Augustae sacra Pentecostalia A. MDCCCXIX pie celebranda indicit. Quaeritur de philosophiae Platonicae cum doctrina religionis iudaicae et christianae cognatione. cf. p. 5.

***) A. Grotefendi commentatio, in qua doctrina Platonis ethica cum Christiana comparatur. Gott. 1820. 4. cf. p. IV.

†) *Das Christliche in Plato und in der platonischen Philosophie etc. von C. Ackermann.*

††) *Das Christliche des Platonismus oder Sokrates und Christus von D. Ferdinand Christian Baur.*

†††) Comparationem Platonis doctrinae de vero rei publicae exemplo cum christiana de regno divino instituit I. G. L. Mehliss, Wustorfiensis. Commentatio a. MDCCCXLV. praemio regio ornata Gottingae.

dam doctrinam et indagandam, ut capite agat primo de fine, quem secutus sit Plato in conscribendis de Republica libris (l. c. p. 23). Postquam vero Mehlissius satis longus fuit in enumerandis argumentis, quae iam G. Stallbaumius accurate sane et diligenter persecutus est, docere ei videtur Plato in libris, quos scripsit de Republica, qua potissimum ratione cives meliores in dies reddantur ac feliciores (l. c. p. 28). Atque quamvis haec eius opinio non magnopere differat ab ea, quam Stallbaumius ex argumenti collegit descriptione et tractatione „voluisse Platonem proponere imaginem perfectae et consummatae virtutis, qualis in omni hominum vita tum privata tum publica et communi cerni deberet, eiusque ostendere vim et praestantiam sqq. (edit. Stallb.)," laudanda est eius diligentia: licet enim nihil adiecerit novi, tamen ea bene recensuit, quae a praeclaro Platonis editore erant disputata. Neque vero omittendae ei erant rationes ad probandum firmae, quibus usus est G. F. Rettigius *). Magnum enim momentum Rettigius posuit in initio Timaei, ut inde explicaret, cur de civitate potissimum constituenda in libris de Republica fieret sermo. Legimus autem in primo Timaei capite Socratem dicentem de sermone, quem in libris de Republica habitum esse facit Plato: „*Χθὲς που τῶν ὑπ᾽ ἐμοῦ ῥηθέντων λόγων περὶ πολιτείας ἦν τὸ κεφάλαιον, οἵα τε καὶ ἐξ οἵων ἀνδρῶν ἀρίστη κατεφαίνετ᾽ ἂν μοι γενέσθαι,*" quae ipsa Platonis verba comparata cum aliis, ut p. 17 C., a Rettigio ita sunt intellecta, ut inde sibi demonstrandum esse videretur, librorum de Republica summum finem in nulla versari alia re nisi in optima condenda civitate. Quo quidem argumento, quod e Timaei sumsit initio, pugnat inprimis Rettigius contra eam opinionem, quam C. Morgensternius in commentatione de Republica attulit. Accedunt autem aliae rationes, quibus nixus et confisus magnopere Rettigius opinionem suam nobis studet probare. Veterum enim, qui in Republica versari Platonis opus iudicaverunt, argumenta depromsit ex Proclo in excursu libri secundo. Quod igitur Proclus de librorum *περὶ πολιτείας* inscriptione dicit, magnum pondus affert ad tollendam Rettigii dubitationem. Neque non vir doctus praeter ea, quae Stallbaumius edit. suae p. XXV contra Schleiermacherum verissime monuerat, ad alia etiam, quae teneantur, attendit animum, quae et recte nobis videntur dicta et explere ea et concludere, quae iam a Stallbaumio erant prolata.

In capite deinde secundo ea exposuit Mehlissius, quae ad humani animi indolem ac primarium finem pertineant cognoscendum (l. c. p. 33). Postquam deinceps primum explicavit, quaenam esset e Platonis opinione philosophia, animi studet facultates excutere accurate. Commemoratis deinde duobus cogitationum generibus transit libri auctor ad obscuram illam de ideis doctrinam illustrandam et patefaciendam. Sunt vero Platonis ideae, quod Mehlissius dicit, non res inanimae in mente sola et cogitatione nostra existentes, sed animatae vires. Ideas igitur statuit esse mali ac boni, ideas externarum quoque rerum laudat, ut mensae et cubilis: etiam de coeni ac pili idea loquitur philosophus. Quarum idearum et inferioris ordinis et superioris nulla invenitur altior et excelsior quam idea boni et pulcri, quam Plato ipsam dicat Deum. Deus vero omnium potens, rex, moderator ideas h. e. suam ipsius naturam intuens illis similem creavit mundum. Atque quum Deus vellet homines, quos paterno amplecteretur amore, gloriae suae et maiestatis fieri participes, in animis hominum insevit summam boni et pulcri ideam. Neque enim animos una cum corpore esse creatos, sed longe antea iam fuisse pulcherrimus ille Phaedri mythus nobis demonstrat **). Ex hoc etiam elucet, quod deinde Mehlissius dicit, in duas esse partes dividendum animum, rationis expertem alteram, alteram eius participem, quarum utraque arctissimo coniuncta est cum homine vinculo. Hoc vero Plato notione inprimis amoris expressit, qui quamquam ex inferiore animi parte exortus magno incenditur idearum desiderio. Atque quum duo sint amoris apud Platonem genera, is tamen, qui tum sublimis vocatur amor tum verus, in recordatione earum idearum est positus, quae ad bonum referantur oporteat et pulcrum. Quamvis autem concedat Plato, omnes hominum animos principio esse idearum participes, non minus verum esse aliis locis statuit, non eadem omnes indole esse praeditos. Priusquam enim animus in corpus intrasset, alius plus alius minus conspexit idearum; quapropter non omnes homines eandem possunt consequi summam sapientiam.

Haec fere Mehlissius. Quae si cum iis conferimus, quae postea exposuit §. 13 (l. c. p. 68 sqq.), certe nobis est persuasissimum, non diversum a boni pulcrique idea dixisse Deum commentationis auctorem.

---

*) Prolegomena ad Platonis Rempublicam scripsit G. F. Rettig. Bernae MDCCCXLV. p 3. cf. excurss. I. II. III.

**) Initia philosophiae Platonicae. Auctore Ph. G. van Heusde. vol. I. p. 89.

Atque si vera essent, quae de Dei natura deinde statuit (l. c. p. 69 sqq.), non reperiremus apud Platonem numen illud sanctum et divinum, quale nos philosopho vindicandum esse opinamur, etsi Mehlissius ipse putat, veriorem et digniorem de Deo notionem attribuisse sese Platoni, quam omnibus fere reliquis philosophis (l. c. p. 70). Etenim si ab aliis discesseris, quod voluit, non differre summum numen a boni idea, hanc, quam habemus, sententiam firmare videtur. Cui multa se debere fatetur Mehlissius, iam C. Ackermannus (l. l. p. 186) et puriorem de summo numine et graviorem invenerat apud Platonem definitionem. Sed leviter tantum rem suam tractavit commentationis auctor non respiciens virorum doctorum argumenta contra hanc suam opinionem pronunciata neque ratione satis habita locorum Platonicorum, quibus ad meliorem poterat pervenire cognitionem. Atque licet superfluum videatur, aureis C. Fr. Hermanni verbis aliquid etiam adiicere, breviter tamen et summatim rem complectemur, qualis et ab aliis viris doctis *) et a C. Fr. Hermanno exposita est **). Praeclarus autem Platonis interpres iubet nos audire Appuleium disputantem. „Tria enim", inquit Appuleius, „initia rerum esse arbitrabatur Plato, deum, materiam rerumque formas, quas *ἰδέας* vocat —" et de deo quidem „sensit, quod sit incorporeus rerumque genitor, omnium extortor, beatus et beatificus, optimus, nihil indigens, ipse conferens omnia, cuius naturam invenire difficile esse, si inventa sit, in multos eam enunciari non posse — ideas vero id est formas omnium simplices et aeternas esse nec corporales, esse tamen ex iis quae deus sumserit exempla rerum quae sunt eruntve, nec posse amplius quam singularum specierum singulas imagines in exemplaribus inveniri gignentiumque omnium ad instar cerae formas et figurationes ex illa exemplorum impressione signari." Ita Appuleius, qui idem duas facit apud Platonem essentias, alteram illarum rerum, per quas cuncta gignantur, alteram earum, quae inde formentur, quaeque a substantiae superioris exemplo originem ducant. Prorsus vero negat Appuleius, essentiae communionem efficere, ut deum quoque mentemque universam ad idearum genus possimus referre. Formae enim rerum, quae eaedem sunt atque ideae, e philosophi graeci sententia vi quadam indigent causali ab iis plane diversa, qua res gignuntur mundanae: quae vis causalis Deo sit attribuenda necesse est vel supremae menti, quam igitur nequaquam confundere debemus cum idea boni, quae ut reliquae omnes ideae ab agendo longe abhorrent. Sed uti Deus, qualem Plato informavit, omnino non commutandus est cum boni idea ***), facile etiam videbimus, si in philosophi nos dederimus bene penitus familiaritatem, distingui ab eo Deum a materia ipsa. Ad boni enim ideam componit ita quidem Deus mundum, ut materiem ordinet in sempiterna versantem actione et motu, et inde creet pulcerrimum mundum atque optimum, sicut omnia animantia, animorum vi, vita, ratione praedita. Hoc ipse iis concedere videtur Mehlissius, quae de Deo disserit omnium potente, vero rege, moderatore, continente principium et finem omnium rerum (l. c. p. 36), quamvis contradicere sibi eum quodam modo non difficile sit iudicatu. Neque apte cohaerent cum sua opinione, quae deinde contendit, illas ideas h. e. suam ipsius naturam intuentem Deum his similem creavisse mundum, neque quadrant ad ea, quae de Deo non diverso a boni idea proposuerat, si hunc Deum putat mundum regentem vim et omnia ad ordinem ideamque revocantem. Nimirum, quod iam in universum a nobis modo dictum est, toto, quod aiunt, caelo errat Mehlissius.

Hoc iam exemplis e Platonis libris petendis erit clarissimum. Antequam vero ad controversiam philosophi dictis accedamus dirimendam, a proposito egredi non videatur aliquot citare Platonis locos, quibus nobis probetur, quam rectus omnino fuerit philosophi de Deo sensus. Quod ut demonstretur, meminerimus modo de ratione, qua nos venerari et precari Deum perbene iusserit Plato. Atque venit nobis in mentem locus Timaei, ubi Timaeus in veram eandemque philosopho dignam vocem erupit: *Ἀλλ', ὦ Σώκρατες, τοῦτό γε δὴ πάντες, ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ παντὸς ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος θεὸν ἀεί που καλοῦσιν· ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ τοῦ παντὸς λόγους ποιεῖσθαί πη μέλλοντας, ᾗ γέγονεν ἢ καὶ ἀγενές ἐστιν, εἰ μὴ παντάπασι παραλλάττομεν, ἀνάγκη θεούς τε καὶ θεὰς ἐπικαλου-*

---

*) Cf. Heusdii initia Vol. II, P. III, p. 88, I. Tidemani l. c. p. 83 sqq. atque inprimis G. Stallbaumii edit. Parmenid. Prolegg. l. II. s. II, p. 266 sqq.

**) C. Fr. Hermanni Vindiciae sqq. Citavimus Appuleii verba de hab. doctr. Plat. I, p. 160 sqq. Bip. e C. Fr. Hermanni Vindiciis p. 24.

***) Cf. G. Stallbaumii edit. Parmen. p. 272. La Muse de Platon par Prince, Neuchatel 1844. p. 65.

*μένους εὔχεσθαι πάντα κατὰ νοῦν ἐκείνοις μὲν μάλιστα, ἑπομένως δὲ ἡμῖν εἰπεῖν κτλ.* *). Huic vero loco similes sententiae reperiuntur in aliis philosophi scriptis. Audiamus igitur Atheniensem Deum invocantem Legg. IV, 712 B. Quam pie sancteque colatur Deus, legitur in Phaedone 117 B. Non minus pia in supremum numen mens ostenditur deinde Phaedri verbis p. 279 B.

Sed haec praemisimus, ut testificaremur, quomodo Plato Deum immortalem precari, venerari, implorare solitus esset: relinquitur, quod caput est, ut deinceps commonstremus, non confudisse philosophum ideam boni cum Deo ipso, Deumque ab eo cogitari essentiam veram. Audi vero Platonem primum affirmantem, Deum intueri ideas, eundemque ad earum condidisse exemplum mundum universum nec non ipsas etiam procreasse ideas, cf. Tim. p. 28 A. Eandem deinde sententiam expressam videmus Rep. p. 596 B. 597 D. In causa autem fuit haec boni idea, cur Deus solem et lunam crearet: haec enim verae rerum indolis et pulcri earum habitus Deo fons exstitit Rep. VII, 517 C. Neque negligendi sunt denique loci, quibus comprobare studet philosophus, animum ratione praeditum neque ideam illam a Deo non diversam regere et gubernare omnia. cf. Legg. p. 896, p. 897 B. Phileb. p. 28 C. p. 30.

Certe his Platonis dictis manifestum fiet atque apertum, quam perperam iudicaverit Mehlissius Platonem opinatus ideam boni eandem censere atque Deum ipsum. Deinde vero, quod operae pretium sit addere ad evellendam reliquam eius de Deo Platonis sententiam**), persuadetur nobis aliis philosophi locis, quam praeterea habeant cognationem Platonis effata cum iis, quae in bibliis occurrant sacris. Videmus enim easdem fere virtutes tribui numini divino, quas nos ipsi ei solemus vindicare ***). Deus ergo est immutabilis Rep. II, p. 281 A. Vocatur deinde Deus beatus, ut Phaedr. p. 247 A. Nuncupatur tum Deus veri amans, bonus neque conciliandus precibus vel sacrificiis, praepotens rerum omnium Rep. II, 382 E., Tim. p. 29 D., Rep. II, 379 C. Quod denique Appuleius de Platone memorat: „haec de Deo sentit, quod sit incorporeus" et alio loco de Mundo disserens: „Sospitator quidem ille et genitor est omnium, quae ad complendum mundum nata factaque sunt; non tamen, ut corporei laboris officio orbem istum manibus suis intexerit, sed qui quadam infatigabili providentia et procul posita cuncta contingat et maximis intervallis disiuncta complectatur" — multis aliis, qui Platonicae aperiendae doctrinae operam darent, hac in re consentientibus — neque in verbis Platonis (Rep. p. 381 C.), neque loco illo (Rep. VI, p. 308 E.) gravissimo, quo bonum cum veritate et cognitionem cum lumine comparat, atque rerum intelligibilium *σαφηνείας* et *ἀσαφείας* facit mentionem, neque tandem ibi vestigia falsae eiusmodi opinionis deprehendere possumus, ubi redivivus *Ἠρ* narrat, cerni in locis coelestibus lumen *ξύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ, οἷον τὰ ὑποζώματα τῶν τριηρῶν, οὕτω πᾶσαν ξυνέχον τὴν περιφοράν* Rep. X, p. 616 C.

His, quae modo de Dei virtutibus commemoravimus, sine ulla efficitur dubitatione, Platonis de Deo cognoscendo sententiam nullam fere aliam esse, nisi nostram ipsam, quam nos quoque ecclesiae Christianae asseclae stabilem habemus et firmam. Etenim non Dei veram nos possumus homines cernere naturam, sed quidquid summum et perfectissimum iudicamus e nostra opinione humana, id numini attribuimus supremo et affingimus. Ne longi simus, non semel sed saepe nos illud praeclare admonet Plato, ut facultas Deum cognoscendi certis naturae humanae sit astricta legibus. Imagine igitur utimur, quum comprehendere volumus animo et proponere ante oculos Deum immortalem. Nam *καὶ τὸ μὲν θεῖον*, inquit Plato Tim. p. 68 E., *ἐν ἅπασι ζητεῖν κτήσεως ἕνεκα εὐδαίμονος βίου, καθ' ὅσον ἡμῶν ἡ φύσις ἐνδέχεται.* Cf. Legg. XII, p. 966 B., p. 897 D., Phaedr. p. 246 C. Omnino vero haec consuetudo poeticas adhibendi imagines ad veri disquisitionem, quo magis illustraret sententiam suam, philosophi proprium eiusque dicendi rationi inerat eximium. Id quoque causae est, quare nonnunquam Plato ut in his sic in aliis rebus ambigere nec disertis verbis dicere videatur, quae eius vera fuerit opinio de ideis earumque cum Deo immortali con-

---

*) Cf. T. Lewis Plato against the Atheists or the tenth book of the dialogue on laws etc. New-York 1835 p. 148 annotat in hunc Timaei locum: „Many professed Christian writers, both metaphysicians and theologians, might here take a lesson from the heathen philosopher. What more sublimely appropriate than this petition for Divine aid in an argument against those who denied the Divine existence? The dark, violent, and almost impassable torrent upon which they are about to embark is yet kept in mind, and in view of this the soul is led to seek for some aid out of itself. — It is in this case a prayer which the purest Christianity need not blush to acknowledge and admire." Commemorandum est vero, hunc editorem Platonis Americanum orthodoxam sequi ecclesiae Christianae doctrinam.

**) Conferentur non pauci l. c. loci et in his v. c. p. 118.

***) *Chr. A. Brandis Handbuch der Griechisch-römischen Philosophie 2r Thl. 1e Aufl. p. 339 sqq.*

iunctione *). Sed tantum abest, ut propterea cum Mehlissio consentiamus, ad claram vere absoluti Dei notionem non pervenisse Platonem **), ut sublimem illam et puram Dei cognitionem comprobemus, quam Plato in libris suis aperuit, quamque nullus philosophorum Graecorum ne Anaxagora quidem et Socrate excepto animo potuit informare. Denique ut brevi rem comprehendamus, hic est Platonis Deus, quem Seneca dixit: „Custodem rectoremque Universi, animum ac spiritum, mundani huius operis dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum Fatum vocare? Non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? Recte dices. Est enim, cuius consilio huic mundo providetur, ut inoffensus eat, et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu vivimus" ***). Talem Deum describit nobis Sophocles †):

Ἐν ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.

Ipsae vero, quas tractavimus, res minime leves dent nobis excusationem iustam, si diutius in his haerendum atque commorandum nobis esse arbitrati sumus. Sed ad reliqua pergamus, quae deinceps Mehlissius in libro suo enarravit. Capite enim tertio convertit se ad virtutem Platonicam explanandam, et ita de ea egit, ut, summo, quod homo assequi posset, exposito bono, ostenderet deinde, quamnam Plato virtutum statuerit distributionem. Sic ad imaginem rei publicae Platonicae conformandam aggressus est commentationis auctor c. IV. (l. c. p. 54). Ita enim a Platone ait civitatem divisam esse in tres ordines, ut tribus animi partibus responderet itaque simillimum esse τῷ λογιστικῷ magistratuum vel sapientium ordinem, ordinem deinde militum conspirare cum τῷ θυμικῷ, denique tertium ordinem rudem, qui opificiis sordidisque artibus quaestum quaereret, deterioris animi partis similitudinem gerere maximam. Ipsum vero hunc tertium ordinem prorsus fere ita neglexisse Platonem, ut ne publica quidem educatione dignos censeret cives ad hunc ordinem pertinentes, reliquos contra reipublicae cives primo vel secundo ordini ascribendos universa institutione gymnastica atque musica esse erudiendos. Artes porro eatenus tantum admittere philosophum in rempublicam suam, quatenus mores spectent emendandos. Inprimis autem eum inimicum se praebere poetarum: omnia igitur carmina epica et dramatica omnemque poesin μιμητικήν, quippe quae in imitandis potissimum versetur moribus pravis, a civitate sua condenda esse arcendam.

Ita Mehlissius. Omisimus ceteras res tritas et pervagatas, quae in eodem eius libri capite leguntur, eaque tantum suscepimus diiudicanda, quae de contemtu poetarum disseruit Mehlissius. Quod enim contendit, poetis inprimis se exhibuisse Platonem infensissimum, non ita, ut factum est, in universum poterat enunciari. Quod si Plato poetas castigat, qui nihil spectent nisi animos concitandos: quodsi eosdem reprehendit, qui diis attribuant scelera aliaque, quae a divina abhorreant natura necesse sit: hoc eo fecit maxime consilio, ut pueros, de quorum agit disciplina, aliud quid vellet doceri, quo eorum emendarentur mores, quoque exempla iis proponerentur satis idonea, quibus animi eorum perducerentur ad id, quod bonum esset et pulcrum. At hoc quidem Mehlissius iam magnam partem concessit, illud tamen reliquit tacitum, quantam Homeri aliorumque praestantium poetarum Plato prae se tulisset venerationem. Auctorem enim v. c. Plato vocat Homerum grandioris poesis, ἄκρον τραγῳδίας, ἁπάντων τραγικῶν πρῶτον διδάσκαλόν τε καὶ ἡγεμόνα Theaetet. p. 151 E., facit philosophus Socratem consentientem cum Homero, poeta divino Phaedr. p. 95 A., fatetur idem Plato Rep. X, p. 595 B., poesin reprehensurus μιμητικήν: φιλία γέ τίς με καὶ αἰδὼς ἐκ παιδὸς ἔχουσα περὶ Ὁμήρου ἀποκωλύει λέγειν ††). Quod autem de Homero affirmari potest, in reliquos quoque poetas dramaticos videtur cadere. In singulis enim philosophi dialogis non paucos reperiemus locos, qui et e Sophoclis et ex Euripidis tragoediis sunt citati, neque ignoramus, neminem fuisse amiciorem Platoni quam Euripidem, ut hic ab illo appelletur διαφέρων ἐν τραγῳδίᾳ Rep. VIII.

*) Ed. Zellerus, qui Mehlissii potius quam nostrae favere videtur opinioni, in libro: *die Philosophie der Griechen 2r Bd.* p. 314.

*) L. Mehliss. l. l. p. 117: „Haud difficile est intellectu, Platonicam sicut omnem veterem philosophiam hoc vitio laborare, quod ad claram vere absoluti Dei notionem non pervenerit."

***) Nat. Quaestt. II, cap. 45.

†) Clem. Alex. Protrept. 36. Strom. V, 440.

††) Prosopographia Platonica, auctore Groen van Prinsterer p. 10.

p. 568 A. Hoc sane non erit mirandum, si cogitamus, quam Platonis dialogi dramatum formam habeant et similitudinem. Recte igitur Wyttenbachius Ep. ad Heusd. Opusc. II, p. 21: „Dialogus Platonis," inquit, „habet fere iusti magnitudinem dramatis, partes, descriptionem, ingressum, progressum; digressiones, exitum: habet interrogandi respondendique vices ita probabiles, ut ex ipsa humana natura expressae videantur, nil de industria quaesitum appareat: habet sensum effectumque, iocandi viam urbanam, venustam, verecundam" *).

Haec, quae hucusque disputavimus, sectione commentationis prima continentur, qua utramque et Platonicam et Christianam doctrinam explicare conatur libri auctor. Iam ad sectionem alteram est transeundum, qua ipsam, quam sibi proposuerat, Mehlissius fecit comparationem. Primum autem studet utriusque societatis primarium demonstrare finem atque ambitum (l. c. p. 62). Divinum igitur opinatur regnum non solum hanc nostram amplecti vitam, sed etiam meliorem, quam qui sit in vita, respicere statum, Platonis contra civitatem sub reipublicae forma constitutam his tantum terris esse destinatam, in eoque porro inprimis cerni discrimen ecclesiam inter Christianam et civitatem Platonicam, quod Christus universum spectet genus humanum, Plato parvae hominum partis Graecorum habeat rationem **). Ubi vero, quid differrent haec, commemoravit Mehlissius, in comparanda utraque doctrina ad peccati notionem accedit eruendam. Atque postquam nos docuit, qua in re philosophi dicta congruerent cum nostris, ut demonstret nobis, operam dat, quomodo Christiana religio admodum abhorreat a Platonis sententia. Animi enim ait cum corpore coniunctionem omnium peccatorum causam esse et principium, et quotiescumque homo peccet, hoc pendere minime ex hominis voluntate libera, sed ex *θυμικοῦ* aut *ἐπιθυμητικοῦ* rationem reprimente impetu; itaque homini non ipsi culpam esse assignandam, sed fatali cuidam necessitati. Haec Mehlissius. Videamus, num errorem eius possimus coarguere.

Omnes enim scriptores antiqui de hoc fere consentiunt uno ore, quod rationi principem concedunt locum, cupiditates contra, quibus homo tranquillitate privetur et agitetur, illi subiiciendas esse existimant ***). Qui igitur domitas non habet libidines et cupiditates, sordidam agit vitam, quod Plato censuit, neque ad felicitatem veram pervenire neque virtutem ipsam colere potest. At si quis ita vivit, ut ratio dominetur in eo, hic re vera dici potest homo liber, hunc omnes imitentur oportet, qui libertatis moralis participes esse cupiant. Tum demum assequi potest homo *αὐτοκράτειαν* illam, quam eximia laude ornavit Plato, quamque Cicero etiam philosophi locum interpretatus disertis expressit verbis. Neque abest Platonis libertas moralis ab ea, quam biblia quoque sacra gloria efferunt et praedicatione. *Ὑμεῖς γάρ*, inquit Paulus, *ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε ἀδελφοί, ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ.* Quodsi statuimus, inesse in homine Platonis hanc libere agendi facultatem, sane non intelligimus, quomodo fatalem quandam necessitatem, ex qua omnia pendeant, philosopho possimus tribuere. Neque argumentis tuetur Mehlissius hanc, quam Platonis esse vult, opinionem suam. Quid? quod amor quoque Uranius, de quo tantas laudes habet Plato, illius omnino adversatur sententiae. Nam, si quid pulcre ab hominibus factum est et sancte, amor hic fons est secundum philosophum, unde optima quaeque redundent. Hoc eodem amore docemur pravas coercere cupiditates eaque sola appetere, quae viro sint digna honesto et probo. (Conviv. p. 205 D.) Hoc ipso amore eo adducimur, ut omnia pati parati simus, dummodo verum et pulcrum consequamur. Hic denique est amor ille, de quo Diotima in Convivio carmen quasi grave plenumque fundit †).

Exponit deinde parte tertia Mehlissius, quae intercedat ratio saluti divinitus missae cum illa, quam Plato promittat civibus reipublicae suae: qua facta adumbratione disserit deinceps libri auctor p. IV. de virtutibus, quae tum nobis commendentur Christianis, tum philosopho probentur Graeco. Atque ita versatur in argumentando, ut explanare studeat primum, quanta sit differentia Platonis inter et Christi praecepta in peccati et culpae notione informanda, deinde vero pergat ad definitionem, quam de fide habeat Christiana, declarandam. Quod enim apud nos dicit Christum fide a nobis exceptum, id apud Platonem incertum effi-

*) Cf. praeter alios de hac re scriptores etiam Nitzschii praef. brev. de Platone suae aetatis doctore et castigatore, p. IV.

**) Recte contra Schmidt. comment. de Platonis philosophia morali sqq. p. 15.

***) Cf. de Geer disquisitio de libertate civili apud veteres, p. 113 sqq. Plat. Rep. IX, 591 C.

†) v. Heusd. l. c. vol. III, p. 16 sqq.

cere idearum numerum. Verumtamen esse credendum, ideas istas Platoni minime esse tanti momenti, quanti nobis sit Christus. In Christo enim videre nos Deum humana natura indutum, conspicere nos divinam cum humana vitam coniunctam; habere nos in illo imaginem ad imitandum nobis propositam.

